

# DOMINICÆ IV.

POST EPIPHANIAS.

Additis S. Patrum dictis, Quæstio-  
numq; aliquot decisione, ad uberio-  
rem textûs cum o-  
pus est, explicationem, & Heterodoxorum refutationem.

Q U A M

In Regia Aboënsi Academia,

P R Æ S I D E

ÆSCHILLO PETRÆO

S. S. Theol. Doctore & Episcopo Aboënsi.

Examini subjicit loco & horis solitis

Ad diem Februarij Anni 1657.

CAROLUS SIGFRIDI KASCHAS,

Tauvast - Finno

Lyra in hunc locum.

*Qui diligit primum legem implevit, omnia n. mandata Decalogi or-  
dinantur ad actum diligendi: quia præcepta primæ tabulæ or-  
dinantur ad diligendum Deum, & præcepta secundæ ad diligen-  
dum proximum.*

Ibidem.

*Diligit proximum cum duo sint præcepta charitatis pro utroq; unum  
sæpè ponit, quia nec Deus sine proximo, nec sine Deo proxi-  
diligitur vel diligi potest.*

A B O Æ

---

Excudebat PETRUS HANSONIUS Acad. Typ.

S. R. M.

*Fidelissimo,*

DN. JACOBO THOMAE Sguelodh/  
hæreditario de Cutila &c. militum equestrum Hip-  
parcho meritissimo fautori & promotori suo  
ætatem suspiciendo.

NEC NON

*Reverendis, Humanissimis, Prudentissimis & honoratissi-  
mis VIRIS;*

DN. ERICO JOHAN-  
NIS ILIO Pastori in A-  
chas vigilantissimo, affini  
suo summâ animi, reveren-  
tiâ devenerando.

DN. JACOBO MAT-  
THIÆ V. D. comministro  
ibidem pervigili fautori o-  
mni gratitudinis signo pro-  
sequendo.

DN. SIGFRIDO NI-  
COLAI KASCHAS V. D.  
ministro in Calswåla fideli,  
patri suo æternum aman-  
do.

DN. CLEMENTI JA-  
COBI S. R. M. præfecto in  
territorio Sæxmâtiensium  
circumspecto, amico &  
benefactori suo laudando.

DN CHRISTOPHERO IVARI de Sil-  
lantasa &c. Militi quondam strenuo jam autem Sculteto in  
Sæxmâti attentissimo consanguineo suo pluri-  
mum honorando.

*Paginas hæcæ sacras in perpetuam memoriam  
& grati animi thesseram inscribe-  
re atq; dedicare voluit*

Carolus Sigfridi Kaschas.  
Respondens.

221



MEDITATIO S. EPISTOLÆ  
DOMINICÆ IV. POST EPI-  
PHANIAS.

In Sanctæ & summæ laudandæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus  
Sancti nomine.



*Nonne Deo subiecta erit anima mea, ab ipso enim salutare meum. Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus; susceptor meus non movebor amplius. Quousq; irrueitis in hominem; interficitis universi vos: tanquam parieti inclinato & marceriæ depulsæ. Psal. 62. v. 2. 3. 4.* Exponit Psalmista in his verbis, quem firmissimi præsidij loco habeat, vz Deum ipsum, quem anima ejus penitus desiderat, & qui sit auxiliator ejus, consolator & protector, ita ut nullum malum, ipsum prostertere queat quantumcunq; sit, Deinde invehitur in eos, qui insidiantur proximo, quærentes eum occidere, tanquam parietem inclinatum & murum depulsam, cogitantes modò quomodo opprimant eum, student mendacio, dant blanda verba, in corde verò execrantur & maledicunt, unde patet, proximum à proximo non perinde ac deceret diligi & honorari. Ideoq; non tutò confidendum esse proximo sed soli Deo, qui solus est auxiliator infallibilis in omni necessitate, consolator, protector, ut nullum malum nos evertere queat. Manifestum est quoq; ex his verbis, quod Deo non placeat odium & persecutio proximi, cogitationes de eo tollendo è medio. Quodq; Deo magnoperè displiceat

fraus & dolus aduersus proximum, & omnis conatus in  
ejus perniciem, præsertim verò abominabiles sint blandi  
& suaves sermones ex simulatione, eorum, qui profe-  
runt ore dulcia, suavia & mellita, in corde verò venenum  
nocentissimum condunt. Contra hos textus recitandus  
concionatur.

**O** Remus a. Deum ut hanc Epistolam ita meditari queamus  
ut cedat in nominis diuini gloriam, nobis in augmentum  
& incrementum doctrinæ & bonorum operum, in spem &  
fiduciam, & tandem in aeternam beatitudinem, dicamus igitur:  
Pater noster. &c.

TEXTUS Rom. 13. v. 8, seq. ad 11.

**N**emini quicquam debeatis - nisi ut invicem diliga-  
tis. Qui enim diligit proximum legem imple-  
vit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non fal-  
sum testimonium dices, Non concupisces, & si quod  
est aliud mandatum, in hoc verbo instaturatur: Dili-  
ges proximum tuum, sicut te ipsum. Dilectio proxi-  
mi malum non operatur, Plenitudo ergo legis est  
dilectio.

**O**Rditur Apostolus hoc caput decimum ter-  
tium, unde hic textus recitatus desumptus est, ab  
admonitione ad præstandum obedientiam Magistratui,  
& omni potestati supremæ in quouis populo, propter  
hanc religionem; Siquidem omnes potestates super po-  
pulum sint à Deo, sint divinæ ordinationes, ideoq; huic  
obstantes, iudicium sibi accersunt à Deo, quod etiam  
futurum. Honorat Apostolus Magistratum hoc titulo  
quod sit minister Dei nobis in bonum, & quod non me-  
tuen-

tuendus sit, nisi saltem tunc, cum quis malè fecerit, non non enim getet gladium frustra. Hinc etiam monet Apostolus tributum pendendum & alia, quæ dignitas officij Magistratus requirit. Occasione hac, cum debito Mastratui solvendo, loquitur Apostolus, incipit in hoc textu auditores admonere ad charitatem præstandum proximo, tanquam præcipuum aliquod debitum, & quo lex ipsa impleatur totius secundæ tabulæ. Admonemur in hoc textu totius secundæ Decalogi tabulæ, ut diligamus proximum nostrum, sicut nos ipsos. Excitatur etiam ad orandum: Pater noster quis es in coelis dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Imò oremus à DEO gratiã hanc, ut queamus ex toto corde ignoscere illis, qui nos offenderunt.

## P A R T E S

1. *De speciali charitatis ac dilectionis proximi effectu ac laude.*
2. *De generali charitatis ac dilectionis proximi commendatione, quòd proximo nihil faciat mali & quod sit legis impletio.*

Atq; hæ sunt istæ partes quas hac vice breviter & simpliciter tractare constituimus: *Omnipotens & æternus Deus, pater noster cælestis dilectissimus, nobis omnibus benedicat, cunctaq; utiliter & fructuose cedere faciat.*

## P R I M A P A R S.

In quâ meditamur:

**I. Debiti cujusdam prohibitionem.** Nemini quicquam deberetis, inquit. Hoc est, nolite tergiversari præstando omnibus, quæ

novistis eis meritò præstanda esse, cum primis verò Magistratui & superioribus sive temporalibus sive spiritualibus. Non loquitur hìc Apostolus de eo, quod mutuo datur & accipitur vel emendum, de his leges etiam gentilium satis homines informant, Non verò ita ex verbo Dei possunt monstrare, quod Dei sit hæc voluntas, ut obediatur Magistratui ut divinæ ordinationi, id quod nunc discere opus habent ab Apostolo. Durum esse videtur, alterum alteri parere & obedientiam præstare siquidem inter homines nulla differentia, ratione ortus & finis vitæ, nec in ipsa conversatione & vita quicquam discrepat, summus ab infimo, omnes sunt peccatores, omnes mortales, omnes æquè miseri cum Deus calamitates imittit, nullius conditio & sors, alterius & inferioris melior, ut Syrach loquitur cap. 42. Unde itaq; est quod alter alteri dominari audet? Huic quæstioni Apostolus egregiè & fundamentalitèr satis facit, cum ostendit hanc esse divinam ordinationem, ut inter eos quos natura æquales fecit, unus ali præsit, & hoc quidem fieri dicit Apostolus in bonum publicum, ut viventes sub alicujus regimine, benè & feliciter vivant in pace, & quiete, ut mali timorem habeant, & boni benè habeant. Atq; hunc esse finem & scopum potestatis & dominij super alios, ostendit Apostolus clarissimè, semper itaq; hoc præstandum superioribus, quod verbum Dei à nobis exigat, quicquid sit quod non contrariatur verbo Dei, licet quoad literam non exprimat in verbo Dei, neq; enim omnibus temporibus est eadem regni conditio & status, interdum plures hostes, plura gravamina, plures expensæ, telonium majus, militum & nautarum conscriptiones, tributa etiam novorum nominum imponendo subditis & exigendo. Quid hìc agendum subditis? utiq; non

mur-

murmurandum contra Magistratum, sed contra peccata nostra, liberaliter & benevolè quod petitur & exigitur, erogandum. Cogitandum tales exactiones, pœnas esse peccati, quis igitur indignabitur Deo punienti & castiganti accipienti & largienti vicissim. Hic enim cum Jobo dicendum: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Ut benè sit familiæ, non rarò sumptus fiunt, vendendo ea, quæ aliàs chara sunt & in prætio habita, ut obtineamus magis necessaria; Ita in hac magna familia, dispendium faciendum illorum, quæ minus necessaria sunt, ut obtineamus ea quæ magis sunt necessaria: vtz legum & juris administratio, pacis publicæ & quietis acquisitio, ut queamus domi & foris tuti esse ab incursionibus hostium, quilibet possidere queat sua in pace. Pax quippe præcipua pars panis quotidiani. Prohibetur itaq; hic debitum honoris & obedientiæ erga magistratum, hoc est, denegatio honoris & reverentiæ debitæ Magistratui.

L. C. Obedientia erga Magistratum est peculiare debitum, quod omninò præstandum, quicquid sit de alijs debitis, nam publicum præcedit privatum. Si familia quilibet quærat suum privatum quomodo durabit familiæ incolumitas, domus super domum cadit. Concordia res parvæ crescunt, discordiæ verò dilabuntur, etiam res maximæ. Hic orandum ut Deus flectat cor nostrum, ad præstanda illa debita, quæ verbum Dei cum primis à nobis exigit, ne quis murmuret adversus superiores, sed faciat officium boni subditi, dabit Deus virtutem omnia sustinendi & ferendi, fidelis est Deus, non tentans quemquam ultra vires. Israelitæ in Ægypto, durum habuerunt Dominum Pharaonem, Sed Deus voluit eos tolerare, donec ille respiceret eos ac liberaret. Quod tandem  
etiam

etiam factum. Orandum etiam pro Magistratu, ut ita omnia administret, ut cedant in Dei gloriam & subditorum utilitatem. Ita Apostolus jubet nos orare pro Magistratu. 1. Tim. 2. v. 1.2.3.4. Error itaq; manifestus est Anabaptistarum detrectantium subijci ordinario Magistratui, quasi libertas Christiana hoc non permetteret.

**II. Debiti cujusdam præceptionem.** Hoc debitum in quo semper nos hæere oportet, sine ulla temporis vel loci exceptione, estq; charitatis perpetuum exercitium. Nemini, inquit Apostolus, quicquam debeatis quam hoc, ut diligatis vos invicem. Sicut Apostolus dicit nos nulli debere oportere, hoc est, nemini denegare, quod ei mandato divino tenemur reddere, etiamsi non mox videamus talionem vel recompensationem ejus, quod damus & expendimus, tamen ad avertendam iram Dei, qui præcipit talia reddere, ad hæc facienda faciles, simus qualescunq; sint illi, qui à nobis talia exigunt. Ita nunc Apostolus vult nos semper debere obligatos esse, adstrictos & alligatos ad amandum proximum, & sine ulla temporis locive exceptione, præstare & exhibere proximo in necessitate constituto benevolentia & amoris signa. Hoc debitum semper solvendum, & nunquam tamen ita solvitur, quin semper obligamur ad idem præstandum. Debet aliquis vicino vel alij pecuniam, annonam &c, persolvit ei, liber est ab illo debito. Solvit subditus Magistratui vestigal, tributum, liber est, nec exigitur ab eo ultra. At charitatis & dilectionis debitum, finem solvendi non invenit, nisi dum desinit & refrigescit. Hoc itaq; debitum est, quod Apostolus præcipit, esse continuum & incessabile.



L. C. Constat ex Apostoli charitatis descriptione, quod nunquam solvat debitum unâ vice, ut altera non pari modo solvendum sit, sive in tali sive in casu eodem. Quia verò nostra corrupta natura valdè adversatur huic perpetuæ & incessabili erogationi in egentes & indigos, non mox videns recompensationem, nec ita credens verbis Christi: Quâ mensurâ metimini alijs alij eâdem metientur vobis. Utiq; orandus Deus ut ad liberalitatem & magnificentiam flectat corda nostra, non ad avaritiam vel prodigalitatem; medium tenere beatum. Spiritus Dei bonus deducat nos in viam rectam. Diligit Deus hilarem datorem, Quid præmij sit homini liberali erga indigos, exponitur Psalmo 15. per totum. Psal. 112 per totum. immisericordiæ & tenacitatis effecta describuntur Job. 22. v. 6. ad 10. Jobi probitas commendatur Job. 29. v. 12. ad 17.

III. Rationem Apostoli adhortantis ad charitatis proximi exercitium. Qui diligit, inquit, implevit legem, videlicet legem secundæ tabulæ, ex quâ hic recensentur: quintum, sextum, septimum & octavum præceptum, item nonum & decimum, additur

B

etiam

etiam hoc diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Qui proximum diligit, non cogitat occidere proximum, non vitare ejus conjugem, non auferre ejus bona, non detrahere ei, non concupiscere ejus bona, sed potius illa defendere, & adjumento esse proximo in illis retinendis & conservandis.

L. C. 1. Qui vult hæc enormia peccata præcavere ne in illa incidat, in homicidium, adulterium, furtum, detractionem & calumniam, malam concupiscentiam rerum proximi, summo studio operam det charitati proximi, Quia verò humano exercitio hæc virtus comparari nequit, est enim fructus spiritus. Gal. 5. VI 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

L. C. 2. Apparet quam impossibile sit, legi DEI satisfacere & per ejus observationem ac impletionem justificari. Siquidem charitas proximi, à nemine ita observari & exerceri queat, quin in aliquo deficiamus, imò in multis. Si de externis exercitiis loquimur, sit forsasse aliquis, qui poterit cum Phariseo gloriari, quod non sit raptor, non injustus, non adulter, non publicanus, quod jejunet, quod decimas det omnium quæ possideat. Quid verò intus & in cute, homo cogitat, Deo soli notum.

Deus

Deus verò cor nostrum malum dicit esse ab infantia Gen. 6. v. 5. & cap, 8, v. 21. Hinc Apostolus firmiter concludit Rom, 3. v. 10. seq. ad finem capitis, hominem justificari fide, non operibus legis: Qui itaq; justus fieri coram Deo desiderat, dicat cum publicano: Deus propitius esto mihi peccatori. Et ex Psal. 51. v. 3. ad v. 14.

L. C. 3. Etiam si impossibile sit, legem implere & per omnia ei satisfacere, tamen commodum est vivere ad legis divinæ præscriptum ideò enim lex nobis data est, ut luceat lux nostra coram hominibus, ut videant nostra bona opera, & glorificetur pater noster cœlestis Matth. 5. Quare nullo modo sic cogitandū: non possū ita diligere proximū, quin aliquis in dilectione proximi defectus reperiatur, cum justus in opere bono peccat, dum non facit opus perfectum, vel perfectè bonum, sæpè voluntas præceps fertur ad lædendum proximum, quamvis nihil mali, tamen ipso opere ei faciamus; quis à cogitationibus volantibus ita securus esse potest? ita est, non tamen hoc studium & voluntas vivendi secundum legem Dei intermittendum est. Cum primis vero oran-

duſ Deus, ut nos ducat ſuo ſpiritu, in omnem veritatem, ad omnia quæ ipſi placent. Et ſi per infirmitatem carnis, & Diaboli impulſum labi contingat, ut reſurgamus tamen, & cum Davide aliſq; lapſis graviter, veniam conſequamur, & audiemus illud: ſublatus eſt peccatum tuum. Fili ſis bono animo, remittuntur tibi peccata tua.

L. C. 4. Percipimus quæ utilitas catechiſmi noſtri, cum inter alia commoda, habemus etiam regulam vivendi perfectiſſimam, & nobis etiam ipſis utiliſſimam, decalogum videlicet, docentem nos Deum diligendum ſupra omnia, & proximum ſicut nos ipſos, homicidium non committendum, non adulterium, non furtum, non maledicentia exercenda. ô quam felices, qui ab his enormibus delictis ſunt immunes, quam tranquillam habent conſcientiam, & quàm benè etiam temporaliter vivunt. Sunt & ipſi tranquilliores ratione ſuæ vitæ, thori, facultatum, & famæ. Quare quoridie decem præcepta recitanda, orandum etiam quotidie: ſanctificetur nomen Dei, adveniat regnum ejus, fiat voluntas ejus, ſicut in cœlo, ſic & in terra,

SECUN-

## SECUNDA PARS

*In prima parte habuimus specialem charitatis commendationem & laudem, quod non committat aliquid contra quadam præcepta, quintum, sextum, septimum, octavum, nonum & decimum; in hac secunda parte, generalem charitatis commendationem observemus.*

In qua meditamur:

**I. Charitatis generale & universale studium.** Hoc indicatur his Apostoli verbis: Charitas non facit proximo quicquam mali. Hoc deducit Apostolus latius 1. Cor. 13. ex proprietatibus charitatis, quæ illic recensentur v. 1. ad v. 8. Has proprietates charitatis, si benè pensitaverimus, utiq; imperfectionem nostræ charitatis confiteri necesse habemus, & hanc tam perfectam soli Christo adscribere.

L. C. Quia vera & perfecta charitas, tam nobilis est virtus, utiq; quia non datur in hac vita, optandum cum Apostolo, ut dissolvamur & simul cum Christo in regno ejus, ubi talis floret & viget charitas. Speculum hujus charitatis quoddam erat in monte sancto, ubi

Christus clarificatus, ubi apparuerunt Elias & Moses Christo, ubi Petrus voluit ex mera charitate ædificare tabernacula Mosi & Eliæ ac Christo, sic in altera vita erimus animati, ut omnes proximo benè cupiamus, nemini malè. Qui in hac vita erant superiores, non inuidebunt inferioribus secum æqualem gloriam; Qui ditiores, non inuidebunt pauperibus cœlestes divitias. Accumbamus cum Abrahamo, Isaac & Iacobo, sine rixis & contentionibus in summa pace, lætitiis & gaudio. Desideremus hanc vitam, hanc conversationem, cogitemus de illa sæpissimè, toleremus hujus vitæ molestias magno animo & vi hujus æternæ meditationis, hunc mundum feliciter & fortiter pertransire valebimus. Sit nobis in conspectu quotidie Psal. 112. Ubi prædicatur beatus, qui res suas ita gerit, ut nemini sit injurius. Sæpius canamus Psalmum 25. oremus, fiat voluntas tua &c.

**II. Commendationem charitatis generalem.** Itaq; inquit Apostolus, charitas legis est impletio, videlicet si quis legem ita observat charitatis, is leges secundæ tabulæ sine dubio impleverat, quod in hac vita à nobis vix fieri posse experimur, inutiles seruos nos deprehendimus, pleriq; sumus tales, ut

ut conservus ille malus, inveniens conservum debentem sibi nonnihil, immemor pristinae Domini sui erga se gratiae & debiti ingentis condonati, collo trahit, & in carcerem conijcit, non habentem mox quod solveret.

L. C. Licet dicetur ab Apostolo charitatem esse impletionem legis, & hoc sit indubitatum, tamen non sequitur nostram charitatem esse legis impletionem, cum ad illam perfectionem charitatis, nunquam perveniamus, sed longe inferiores maneamus uti in aliis quæ lex ori exigit. Act. 15. v. 10. Rem. 8. v. 3. & v. 7. Rom. 7. v. 22. Rom. 8. v. 7. volet 2. v. 21.

**C**lementissime Deus pater coelestis, tu nos diligis plus quam parentes nostri, ut proximum diligamus tua est voluntas te ante omnia, & proximum sicut nos ipsos diligere præcipis, largire quæsumus gratiam ut utrumque præstare valeamus, & quia plurimum in hoc deficimus sit pro nobis Christi meritum satisfactio, per eundem Dominum nostrum J. C. qui tecum & cum S. S. vivit & regnat in sempiterna secula,  
A M E N.

## Q U Æ S T I O N E S

### I.

Quomodo cohæret hoc

præceptum Apostoli de dilectione proximi cum mandato de obedientia erga Magistratum ?

*Resp: Nec cui infirma videretur hæc de Magistratuum potestate præceptio, eam voluit ad dilectionis legem referre ac si dixisset, cum postulo ut principibus pareatis, non aliud requiro, quàm quod ex lege dilectionis debent præstare omnes fideles.*

II.

Quomodo intelligendum quod paulus dicat legem Dei impleri dilectione proximi nullâ factâ mentione cultus Dei ?

*Resp: Paulus in totam legem non respicit, tantum de officiis loquitur, quæ nobis erga proximum demandantur à lege, Et sanè illud verum est, impleri totam legem, cum proximum diligimus, quoniam vera erga homines charitas, non nisi ex Dei amore fluit, atque ejus est testimonium sicuti effectus.*